

**Medicam de lacte humano disquisitionem ... / examini sistit publico
Fridericus Ortlob.**

Contributors

Ortlob, Friedrich, active 1653.
Lange, Christian, 1619-1662.
Universität Leipzig (1409-1953)

Publication/Creation

Lipsiae, 1652.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/vtdtk4cq>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

FELICI OMINE!

MEDICAM

DE

LACTE HU-
MANO

DISQUISITIONEM,

Indultu Ampliss. Facult. Medicæ,

PRÆSIDE

UIRO Excellentiss. Ampliss. Experientissimoq̃ue

DN. CHRISTIANO  Rangen/
PHIL. ET MED. D. FAC. HU JUSD.

ADSESS, ANATOM. ET CHIRURG. P. P.

PRÆCELEBERRIMO,

DN. Præceptore atq; Fautore summo perè devenerando,

Propri die Calendas Majas,

H. L. Q. C.

Examini sistit publico

FRIDERICUS  REESB/

OLSNA-SILESIUS, Medicinæ Consecratus,

AUT. & RESP.

LIPSIAE,

ANNO M DC LII

62

MEDICAM

LACTE HL

MANO

DISQUISITIONEM

DI CHRISTIANO

PHI ET MED D TAC HL

AGRESS ANATOM ET CHIRURG P

FRIDERICUS

FRIDERICUS

FRIDERICUS

FRIDERICUS

FRIDERICUS

FRIDERICUS



PROLOGUS.



*Ontes è latente suo sinu profilientes nonnunquam, nonnunquam & deficientes rursus, quisquis invisere discupis, quid ad lacum aliquem, Vadimonis, Bassanello oppido vicinum, (singulari hac proprietate famosum, attestante id Casp. Bartholino l. 1. d. Aq. c. 14.) tedioso protinus itinere & meticoloso pede tendere opus habes? Quin potius in te ipsum penetra, o homo, qui accuratissimum totius universi compendium tecum circumgestas; bilari gressu accede hoc nostrum pervestigandi studium negotiumque, & fateberis ipse, naturam non absimile miraculum tuo corpori indidisse. Scilicet, *mammæ mulierum, quæ Gellianâ, l. 12. N. Att. c. 1. b. e. elegantissimâ linguâ, fontes corporis sanctissimi, & humani generis educatores blandissimi, jure ac meritò audiunt, lacteis non semper redundare liquoribus, nec iisdem quoque carere semper, quis mortalium est, quem fugiat? Nobis structuram illarum non tam mirari hîc, quàm rimari aliquantillum in animum nunc est, quò mox in ipsam de Lactæ, quod perficiunt, custodiuntque disquisitionem liberius diffundamur. Absolvunt verò illas, præter partes totum corpus communi officio regentes, cuticulam nempe cutem, pinguedinem & membranam, quæ ad nutricularum harum cordi vicinarum, & thoraci bellè superadditarum substantiam faciunt, (1.) Vasa varia: venæ & arteriæ, quæ alimentarium mammis sanguinem advehunt; (cum quibus, convenient an-*
*discordent tubuli lactiferi in papillam desinentes, oculatiores dispi-**

cere jubet Th. Bartholinus l. 2. Anat. Ref. c. 1. nervi item, qui sensum; & quos his addimus, ramuli ex vase lacteo thoracico oriundi, qui lactis materiam ferunt: (2.) Corpora glandulosa, albicantia, tenuibusque vasorum interstincta plexibus, & solo sexui foemineo (uti omnes ferè Anatomicorum filii contestantur) juxta cum tubulis sacrata peculiariter, quæ allatam lactis materiam, concessâ sibi propriâ virtute, γαλακτοποιητικῇ elaborant: (3.) Papilla denique bacciformis, rubricans, foraminulenta, & areolâ coronata, quæ lac jam elaboratum infanti sugenti oppidò concedit. Atque harum una utrinque secundum naturæ leges concernitur formata, quamvis Hollerius duplicem in alterutra, alius neutram in utraque mamma observavit. Binas etiam naturæ, sui juris cum est, mammas in foemellis efformat, impedita verò ex necessitate materię quandoque tres, immò & ipsas quatuor in unâ muliere conficere potest, cujus rei testes oculos laudo Walæum & Cabrolium Obs. 7. Eæ autem optimæ aliàs notæ censentur mammæ, quæ proportionē debitâ corporis magnitudini respondent, & mediocriter crassæ, duriusculæ & prominulæ existunt; non verò, quæ parvitate nimia mamillas virorum vix æquant, nec etiam, quæ grandes nimis dependent, quibus vetus etiam invisum est illud proverbium: Non annosa, non mammosa, non bibosa, non probrosa. Scaliger Ex. 159. S. 2. enim, ille subtilitatis autor, virginem sibi visam scribit, quarum mammæ brachiorum latera, adeoque ipsam superiorem abdominis partem occuparunt. Et historiæ Orientalis Geographi referunt, Arnabonis Insulam mulieres alere mammis adeò longis, ut post terga etiam reflectere eas possint. Usum tandem & situm earundem quod concernit venustam thoraci, & in masculis, & in foemellis conciliare illas pulchritudinem, nec tam cordi præsidio positas, quàm calori cordis vicino expositas istic loci, non difficulter credimus. In mulieribus verò lactis generationi jugiter & custodiæ dicatas esse eas, nemo saniorum inficias iverit. Sed præstabit nunc in ipsum Lac humanum, missis vasculis, quibus custoditur, inquirere accuratiùs. Propinabo verò illud ex fonte triplici, Anatomico nimirum, Pathologico, & Diætetico: h. e. ut certus proferendorum observetur ordo, qui, juxta divinam Scaligeri Ex.

g. mentem, res divina est in natura, hanc de Lacte Humano
Disquisitionem ita discriminaro, ut considerem illud primo tan-
quam rem naturalem ex codice Physiologico, dehinc tanquam
rem p.n. affectam, & demum tanquam Non-naturalem.
Primum pensum pertractabo cap. I. alterum & tertium post in-
sequentibus cap. absoluturus. Agnosces, Lector benivole, (sed
& ignosces, pro candore tuo) quod in materia hac adeo difficili, ut
non immerito ambigas, majorinè audaciâ, an viribus ad exami-
nandam eam surrexerim, antiquorum Medicorum sententiis non
subscripserim ubique cum Medicis beatoribus hoc seculo esse liceat.
Magni equidem reputo semper auctoritatem veterum; sed rationi-
bus & auctoritatibus agere, ubi de corpore humano res est, non minus
licitum, opinor, fuerit Medicis modernis. Tu verò, ô Archiatro-
rum Archiater, eterne DEUS, da benignus, ut hujus mei laboris
lucram faciam tuam gloriam, lectorum equitatem & studio-
rum meorum incrementum!

CAPUT I. SISTENS ANATOMICAM LACTIS HUMANI CONSIDERA- TIONEM.

§. I.

Meditatio lactis dum in præsentì chartâ delecta-
re nos debet, primitus statim tunicam ejus, ut
sic loqui liceat, seu definitionem nominalem, ut eâ
probe perspectâ eo felicius in ipsissimam rei i-
pſius deducamur perceptionem, monitore Galeno l. 1. de
Diff. Puls. c. 1. nostro, evolvimus. De lactis igitur No-
mine & ejusdem cunis hoc prælibamus, quod illud qui-
dem Martinus Lexic. Phil. p. 1348. à Græcanicâ voce λευκόν,
sive album, derivatum velit: nostro tamen palato magis
arrident sententiæ illorum, qui lac descendere putant
aut cum Sebizio l. 3. d. Alim. Fac. c. 7. à verbo Latino alli-
cio, sive rectius à simplici & obsoleto lacio, cum vel la-
ctis dulcedine alliciantur infantes, vel suçu alliciant &

provocent ipsum; aut à Græco γάλα, γάλακτος, lac. Prisca etenim Latinitas lacte in recto ac nominandi casu dixit, quemadmodum id liquet ex *Plauto, Menæch Sc. ult.* & prolixius commonstrat ex *Charisio l. 1.* & *Prisciano l. 6.* Grammaticis, Κριτικώτατος δὲ Taubmannus *Comm. in Pl. p. m. 652.* Nec proinde rejicimus Ebræorum radices, quibus illi à lambendo vel lingendo lac oriundum probant. Teutonice hoc appellamus die *Milch* / & verbum conjungendum *melschen* / fortasse à Latino mulgere. De cætero libenter illos hîc præterimus, quibus volupe est fictitiis sensibus nomen corrumpere, aut exinde nescio quid ad genii sui rationem detorquere.

§. 2. Non opus porro esset de HOMONYMIA vocabuli hujus verba facere, quandoquidem ipsa fronti dissertationis nostræ apposita inscriptio eandem in antecessum tollere sufficienter valet. Propalàm enim ex illa est, nos non acturos (1) de lacte artificiali, quale Hermeticorum focis est lac sulphuris, virginis &c. & quale Dogmaticorum officinis sunt lac amygdalinum, & ejus farinæ emulsionες multæ; nec (2) de succis plantarum, qui nudo colore lactis, seu albicante, nomen hoc ementiuntur, uti sunt lac ficulneum, lactucæ, esulæ, quæ aniam quoque suggestit versiculo huic in ore *Botanicorum* non infrequenti:

Esula lactescit, sine lacte linaria crescit.

Hinc & herbæ hujusmodi communiter lactariæ vocantur; atque *C. Celsus* omnia ea nominat lactantia, quæ succum lacteolum, aut, si mavis, lactineum emittunt. Adducimus occasione datâ & *Joh. Gerh. Vosium p. l. 3. de Vitiis Serm. c. 18.* qui, *Lactorones sunt*, inquit, *germina herbæ cujusdam, quæ à lactis abundantia sic dicuntur.* Respexisse videtur ad locum *Plinii l. 24. Hist. Nat. c. 18.* huncce: *Herbæ genus est vulgò notum & lactoris dictum, quod plenum lactis est, & degustatum vomitiones concitat.* Lactea, inquam, hæc talia in præsentiarum non attendemus, & proinde alios omnes relegamus significatus, qui fortè fortuna succurrere possent. Pernotum quippè est ex Sanctâ paginâ, per lactis vocem manifestè

festè indigitari quoque (3) *genituram seu semen*, illam probatissimi sanguinis spumam. Ita enim apud *Jobum c. 10. v. 10.* *Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum &c.* Nec ignotum est Philologis, quàm pulchrè abuti possint lactis hac vocali: *Natant verba in lacte puro*, canit venustè *Luscinia* quædam: Ecquid appositè magis quadret in sermonis perquàm delicati formulam? ecquid convenientiàs in tenerâ & apta auribus verba, hoc est, naturali quadam pulchritudine exsurgentia? *Lactes* (4) præterea in multitudinis numero non rarò dicitur cruditorum natio, ex quibus, qui novit intelligi per eas viam seu circulum mesenterii, atque tenuium intestinorum lacteum, is certè suapte sponte conjiciet, neque cum illis nobis hoc loco rem fore, nisi quo modo lactis exinde materia propullulet. Dico tandem, nec expectandum hîc esse examen (5) *lactis animalium brutorum*, quamvis illud humano cum maximè respondeat; sed cum primis & in specie *Lactis Hominis*, subjecti utpote Artis Medicæ nobilissimi.

§. 3. Quoad Synonymiam Medici Doctores fermè omnes *lac* vocant *sanguinem dealbatum*, sed, quàm rectè, ex seq. patebit. Latinis, si *Isidor l. 11. Orig.* fides habenda est, *succus maternus* audit; *Lucretio, l. 1. Carm. candens lacteus humor*. Non minori elegantia alii vocant *candidum* & *infantile nutrimentum*, *mammarum nectar*, & quæ cætera passim scriptoribus frequentantur lactis encomia.

§. 4. Expeditâ lactis onomatologiâ, pragmatologiam hujusdem, seu realem definitionem aggredimur, quam ponimus talem: *Lac humanus est humor albus & dulcis, è succulentâ clyli parte, à facultate mammarum γαλακτοποιητικῇ, adjuvante nonnihil partium vicinarum, imprimis cordis calore, magis coctus, ut primum infantis recens nati sit alimentum.*

§. 5. Pro *GENERE* militat *humor*, atque ille quidem non ex eorum, quos p. n. sæpè in corpore humano reperire est, neque ex vulgò ita dictorum alimentitiorum humorum numero; sed talis, qui partibus contentis & impetum facientibus contradistinguitur. Dicitur enim ille de
lacte

lacte essentialiter & proximè, ita tamen, ut prædicari etiam queat de rebus aliis, quæ non sunt lac. De fluiditate autem lactis certum quælibet facit sensus visûs & tactûs.

§. 6. Salvo nunc genere nostro corrumpit I. sententia *Empedoclis*, cui lac *pus album* libuit appellare: quo ipso peccatur in leges bonæ definitionis, quæ perspicua sint, non homonymica, difficulterve explicabilia, necesse est. Mallem verò excusasset, quàm accusasset magnum hunc Philosophum *Aristoteles*: l. 4. d. *Gen. Anim.* c. 8. antiquissimi enim Medicorum, quod benè monet *Mercurialis* l. 3. d. *Mor. Mul.* c. 1. per corruptionem aliud nihil, atque concoctionem, quam putrefactione fieri sibi persuadebant, indigitatam voluerunt. Testem allego *Hippocratem*, seu quicumque conditor sit libri de Anatome, qui ventriculi culinam ventrem putrefactorium appellat. Quod nec *Stagyrites* ignoravit: ita enim ille alibi: ὁμοίως ὅδ' ὁ οἶνος ὕδωρ ἐστὶ σείσηπός, καθάπερ εὐπιδοκλῆς φησί, Σαπὲν ἐν ζύλῳ ὕδωρ. Quid? quod II. ipse *Aristoteles* loc. sup. cit. & hujusdem affectu, *Roder à Castro* l. 4. de *Nar. Mul.* c. 9. *Heurnius*, citante *Nath. Highmore* l. 2. *Disq. An. P.* 1. c. 2. & alii reprehendi veniunt, quod lac per *excrementum* corporis definiant. Excrementum sanè esse non potest, quod alimentum est: minùs multò corporis, aut tertiæ concoctionis, quod per peculiaris vasa pro lactis materiâ ad mammas portatur. Si verò excrementi vitium benignitatis blanditiæ oblinere satagunt, nobis omnino *benignum excrementum* aliud erit nihil, quàm oppositum in appposito, & formosa deformitas. Neque virgulam censoriam effugiunt III. *Meletius*, l. de *Nat. Hum.* *Ambr. Paræus*, l. d. *Gen. Hom.* c. 21. multiq; rei Medicæ scriptores alii, in quorum monumentis hincindè lac per *sanguinem dealbatum*, descriptum reperitur: Unde natales etiam suos derivavit olim superstitio illa Philosophorum Pythagoreorum, teste *Lev. Lemnio* l. 2. de *Complex.* c. 3. & Sacerdotum *Allobrogum*, referente *Cl. Hoffmanno* *Comm. in de Us. Part. Gal. p. m.* 305. ex *Boeccacio* l. 2. *Geneal.* qui lactis etiam esum, non tantum sangvi-

nis

nis, respuebant. Verum pro sanguine immutato declarandum id minimè esse, quod sanguis propriè sic dictus nondum fuit, mox dicitur in §. 13. & 14.

§. 7. DIFFERENTIA quatuor causas lactis, *formalem, materialem, efficientem & finalem*, ordine proporro liberius examinandas exhibet. FORMA, pro quâ humanæ mentis à prima protoplastorum labe caligo non nisi accidentia quædam nobis concedit, per *humorem* exprimitur, id quod ex generis dilucitatione clarum jam esse opinamur. Albus debet ille esse, non lividus nimis, nec nimis splendicans; dulcis etiam, ut gratia alimento concilietur.

§. 8. Et quamvis homogeneus primo adspectu humor hic videatur, tamen ex numero eorum est, quæ *Galenus l. 5. simpl. c. 1. & νομοιομερῆ καὶ σύνθετα* vocat. Urina corpus heterogeneum non videtur; constat tamen aquâ, sero & contentis tam naturalibus, quàm præternaturalibus. Parili pacto & lac diversas habet partes, quas juxta elementorum humorumque quaternionem sic enumerat *Petrus Gassendus exerc. in Eludd. Phil. p. 2. c. 16. lac*, inquit, *in suâ temperie aërem, seu sanguinem; butyrum, ignem seu choleram; serum, aquam seu pituitam; caseus terram seu melancholiam refert. Cardanus l. 3. d. san. tuend. c. 11. sex & plures lactis partes statuit. Ast intentioni nostræ convenientior est usitatisima illa lactis in suas partes divisura, dum Medicinæ Doctores alias faciunt pingues, seu butyrosas, Chymicis sulfur; terrestres seu caseosas, his tartarum, & tenues seu serosas, iis ipsis phlegma dictas.*

§. 9. Exponenda nunc est MATERIA lactis, quæ, qualis sit, non est adeò proclive ad expediendum. Enunciarunt hanc *Avicennas l. 3. Tr. 1. fen. 12. c. 3. Galenus l. 14. de us. part. c. 8. Aristoteles l. 4. d. Gen. An. c. 3. & cum his universa antiquitas medica sanguinem, eumque menstruum: quem plures illorum, aut totum impurum & vitiosum exclamant, in quâ opinione sunt Alexander l. 2. probl. 78. Fernelius l. 7. physiol. c. 7. & alii; aut certè bene multam illius partem. Adi Bottonum l. d. morb. m. c. 12. Mercurialem l. 3. d. m. m. c. 1. & Zac. Lusitanum l. 3.*

prax. hist. c. 8. Traditum enim & nemine obstrepente firmiter creditum est, sanguinem, grandiore jam foetu, ab utero per venas epigastricas & mammarias, exosculantibus invicem se anastomosibus, in interiorum mammarum sedem ferri pro generatione lactis.

§. 10. Acerbè sentit de sanguine hoc menstruo *Plinius l. 7. hist. nat. c. 15.* scribens: *Nihil facile reperiatur profluvio mulierum magis monstrificum: acescunt superventu musta, sterilescunt tactæ fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, & fructus arborum, quibus insedere, decidunt; speculorum fulgor adspectu ipso hebetatur &c.* Sed quæ te ratio, *Plini*, docuit, tam extremè vitiosum & malignum pronunciare sangv. menstruum? Non sanè ea, quæ nos docet, eundem esse ejusdem conditionis cum sanguine reliquo. Anne vitiosus sangvis foetui concepto in alimentum & augmentum laudatissimum cedit? Bonum jam quomodo fiat, ex malo? Laudabile ex nòxio?

§. 11. Neoterici experienciâ fideliùs edocti fluxiones menstruas in se & suâ naturâ consideratas totas laudabiles esse; *avrophiæ* etiam certi, circulationis principia non admittere venas mammarias pro canalibus sanguinem mammis infundentibus, cum vinculo constrictæ deorsum versus intumescere illæ deprehendantur; mutatâ paulò correctiùs veterum sententiâ, statuunt; sanguinem menstruum tanquàm materiam satis bonam satisque puram à venis epigastricis arteriis subclaviis committi, & sic glandulis mammariis anastomatosum beneficio pro generando lacte immitti. Præter hunc verò materiam lactis etiam præbere vicina vasa thoracica vult *Hoffmannus l. 2. inst. med. c. 129. §. 1.*

§. 12. Subscriberemus & nos huic sententiæ per tot secula inculpatæ, nisi dubia super hac re ponderosissima circumspèctos remorarentur. I. enim substantia sanguinis fibrosa est, lactis non item. Ast alteratio, qua ex illorum sententiâ lac conficitur, partes sanguinis essentielles tollere non erit sufficiens. II. Puerpera magnam sanguinis

nis copiam effundit, nec tamen lactis aliquis advertitur defectus: quin & nutrices macilento corporis habitu, prostratas sentirent vires à lactationis actu, donec novo reficerentur sanguine, novamque lactis nanciscerentur materiam, id quod verò minimè fieri ipsæ non diffitentur. III. Qualitates ingestorum longè potentiores vegetioresque in lacte, quàm sanguine deprehendi constat. IV. Credibile non est, tam exiles juxtim, juxtimque & paucas vaforum dictorum, nec dum ab utero, sed venâ crurali prodeuntium anastomoses sufficientes esse assurgendæ tam largæ lactis materiæ.

§. 13. Hæc propter non sanguinem, sed *chylum*, ejusque succulentam portionem *immediatam* & *proximam* lactis esse *materiam* tam diu statuimus, usque donec & dubia enarrata ex animo nostro penitus ejiciantur, exterminenturque, & simul rationes institutum nostrum firmantes solidioribus convincantur argumentis. Ex chylo autem immediatè lac fieri probamus I. quia lac sanguine frigidius est, & copiosius infanti excrementum præbet, quam sanguis fætui uterino. II. Pilos, furculos herbaceos, alia deglutita, per papillas mammarum exitum quæsiuisse, experientia loquitur ipsa. III. Ipsum nutricum accedit testimonium, quæ fatentur, quod lac à pastu illicò augeri in mammis sentiant, & proindè assumtis modò cibis, ex metu incocti lactis, matres infantibus altrices non nisi invitè porrigant. Consule mihi *Martianum* & *Petrum Castellum* apud Anatomicorum longè celeberrimum *Th. Bartholinum* l. sup. all.

§. 14. Autoritatibus pugnare si licet, non contemnendos quoque causa nostra inveniet Paternos. Præclare *Hippocr.* l. 1. *M. Mul.* Senex noster venerandus: *Dulcissimus humor ex cibis & potibus ad mammas vertitur ac exsugitur, & necesse est etiam reliquum corpus evacuari, & minus sanguine plenum fieri.* Repetit idem alibi l. d. nat. pueri sed obscurius, dum tumidum præ puero uterum, mulieris ventrem comprimere scribit, cuius compressione pinguisimum de cibis & potibus profiliat

in omentum ac carnem, expressum vero in mammas veniat. Ex quibus manifestum est, eundem Medicinæ Deum non remotam, sicut explicant multi, sed proximam lactis materiam indigitasse, quando alibi l. 4. d. M. lac nutricis fieri dicit à pituitosis cibis ac potibus & alimentis impuris. Martianum & Castellum Hippocraticæ hujus doctrinæ tutanos acerrimos §. præcedente nominavimus: In quorum sententiam i-verunt quoque famigeratissimus Slegelius, Diss. hab. Jenæ Anno 1640. &, quem sine honoris præfatione nunquam appello, Bartholinus. Hist. An. d. Lac. Thor. c. 18.

§. 15. Uberiorem denique dictis fidem addet ipsa VIARUM, quæ chylum ad mammas vehunt, demonstratio. Neque enim acquiescimus in cœcis ductibus *Martiani Anat. l. de Carnib. & Veslingi, Syntagm. Anat. ult.* aut in porositatibus corporis raris à ventriculo sursum adscendentibus *Castelli l. 2. Emet. c. 59.* aut etiam in ductibus lacteis ex pancreate per carnes oculis non obvis, tendentibus *Slegelii. l. cit.* Perspicuas & oppidò manifestas vias, THORACICAS nempe illas LACTEAS à *Pecquetio*, Medico Parisiensi, circa alia potius curioso, casu noviter primò observatas, numerosissimo spectantium ordini *Bartholinus* ille, Prof. Regius Danus, felicissima manu conspiciendas & detrectandas exhibuit *Haffniæ*. Ut opus non sit meam hic allegasse observationem, qui ipsa hæc vasa *Pecquetiana* tum in publicâ cadaveris masculi sectione, administratore Excell. Dn. *Præside*, Fautore & Promotore meo magno, anno proximè elapso, tum privato studio in animalibus brutis dissectis, oculis conspexi.

§. 16. Chyli siquidem per pylorum & intestina ad venas lacteas derivati succulentam portionem, glandula quædam mesenterio annexæ, & à situ *lumbares* dictæ, recipiunt, atque per ramulos quosdam, in unum ductum propter undecimam dorsi vertebrae coalescentes infundunt. Ille verò posticâ parte dorsi vertebrae, & œsophago antica annexus, per medii dorsi longitudinem exsurgit, & in venam axillarem sinistram desinit. Deorsum
lauda,

laudatæ glandulæ aliquas etiam tenellas utero communi-
cant propagines lacteas. Nihilo vero minus ex canali
illo unico continuo plures in thoracem huic illuc ramuli
disperguntur, quorum ope candidus ille succus ad mam-
mas transit, *Bartholinus, l. al. de his: nihil promptius, inquit,*
quam per lacteas thoracicas novas rem controversam componere.
Vicina illæ sunt mammariis & thoracicis vasis ramulosque possim
diffundunt. In pregnante & lactante post partum dissecta, facile
erit experimentum.

§. 17. Ita antiquitas veneranda in fabrica hominis
non tam inventa, quam quærenda reliquit nobis, multa
adhuc posteritati indaganda relicturis. Sic hodie. seculum
canalis pancreatici Würsurgium, venarum lactearum Asellium,
& thoracicarum Pecquetum atque Bartholinum, inventores,
valdoperè deprædicat.

§. 18. Unicum huc, ut addamus, superest, de *consensu*
mammarum cum utero, quem nullatenus probant vasa, qui-
bus tantam compassionem communicare invicem Ana-
tomici olim docuerunt; cum venarum nec mammaria
mamas attingat, nec epigastrica uterum. Probabilius
agunt illi qui uteri salacitatem virginibus viro aptis, ju-
venculisque uxoribus æque proritare partium aliarum,
ac mammarum contrectationes, sibi persuadent. Expo-
ne mihi, qua ratione limi, morficantesque, &, si ita loqui
licet, Venerei, s. voluptate quadam suffusi oculi penitran-
tissima Cupidinis tela incutiant scemellis? unde quæso, ex
solo adspectu amatorio & suavi tam insigne invitamen-
tum, tam intimæ libidinis perceptio, videlicet adfectus
animi est ille consensus, & nihil aliud. Ast verò quàm fa-
cile alteratio animi ad corpus & ejus partes, has inprimis,
quas illa concernit, transire possit, experiuntur plus satis
quotidiè Medici Practici.

§. 19. EFFICIENTEM lactis causam principalem attri-
buimus glandulis per interiora mammarum conspicuis;
nihil morati illos, qui glandulis corporis actionem con-
cedere fluctuant; cum illarum aliæ usum tantum, aliæ

verò & usum & actionem habeant. Quin potius virtutem glandulis hisce γαλακτοποιητικὴν, sicut testibus σπερματοποιητικὴν, peculiarem esse, vel exindè planum est, tum, quod ovipara, & alia mammis destituta animalia lac gignant nullum; tum, quod pressæ ille succum fundunt lacti proprium. Calor autem loci, proprius idem & adscititius, tantum facit ad generationem lactis, quantum facere potest *causa adjuvans*.

§. 20. Cæterum largam quoque lactis copiam homines progenerasse *MASCULOS* exemplis evincere nituntur *Avicennas* l. 3. *Fen.* 12. *Tr.* 1. c. 3. *Aristoteles*, l. 10. *Hist. An.* c. 12. *Mercurialis*, l. 3. d. *M. Mul.* c. 1. *Bartholinus*: l. 2. *An. Ref.* c. 1. & ex ipsis *PUELLIS* recens natis fluxisse ferunt *Lev. Lemnius* l. *sup. cit.* *Fr. Ranchinus*, *Tr. d. M. Virg.* S. 1. c. 16. alii. Nos contra communem opinionem in masculis mammis non verum lac deprehendi credimus cum *Bauhino* l. 2. *Th. An.* c. 3. *Euchstadio*, *Coll. An. quest* 162. & quem principe loco laudare debebamus, *Galeno* ævi nostri, *Sebizio Exerc.* 55. *probl.* 11. sed tantum humorem aliquem illi analogum, & cujus solus color lactis nomen suffragatur. Nullas glandulas mammarias, in virilium cadaverum anatome ordinario naturæ arbitrio factas, monstrat experientia; nullas perhibent *Anatomicorum* probatissimorum testimonia. Sequitur ergò nexu necessario, deficiente efficiente lactis causâ, effectum quoque nimirum lac verum, dari non posse. Et dicat, quæso, quis mihi lactis in viro, si adest, usum? an natura, sapientissima rerum omnium formatrix, quicquam unquam incassum fabricaverit; Hoc nunquam putàrim ego, ne dum affirmàrim. Egregiè faciunt huc verba *CL. Sperlingii*, *Tr. d. For. For.* c. 1. q. 4. interpretis naturæ uti accuratissimi, ita fidelissimi, *Præceptoris* antehac mei lummo devenerandi opere, qui: *In virorum*, inquit, *mammillis, si quid inventum, non tam res, quam similitudo fuit. Albus fuit humor, lacti similis, quo fieri potuit nutritio, sed imperfecta. Et sit, quicquid sit singularia hæc sunt. At scintillam parit universale, non singulare.*

§. 21. Non

§. 21. Non idem verò iudicium nos ferre de *virginibus*, quarum mammae ob lactis, novelli illius hospitis adventum, sororiarum invicem protuberantiùs, papillaeque evidentiùs baccare incipiunt, conceptissimis hinc testamur verbis. Sunt enim iis glandulae, ad quas materia lactis si amittitur, quidni & lac generetur? Quod, ubi contingat quandoque, uti contigisse sanè *Ranchinus*, l. all. *Laurentius*, l. 9. *Hist. An. c. 8. 9. 2. & Sebizius*, i. 3. de *Fac. Al. c. 7.* exemplis declarant, ut ne conclamatum illico esse concludamus de pudicitia innuptae, cauto usus est quàm maximè. Nimirum causa lactis istiusmodi menstrua p. n. retenta esse possunt, docente id *Hippoerate. Sect. 5. aph. 39.* Ubi enim provida natura a sanguinis visciditate, aut alia modo quocunque obstructis aut malè affectis viis, intentione sua semel frustratur in egerendis superfluis; tunc ne periculosius malum copiosiore sanguinis affluxu accersatur corpori, operosa esse non dediscit, sed chylum alias in sanguine convertendum secundaria intentione cogitur sanguificationis organis subtrahere, & qua data porta, h. e. ad mammas adducere, quae, praesente materia & efficiente lactis causa, non possunt non verum etiam lac elaborare.

§. 22. Attingimus & ipsum MODUM *laci generandi*: quod dum fit, non animus est producere in arenam *putrefactionem* veterum, utpote falsitatis dudum convictam. Neque acutius rem tangunt usque adeò, quos nuda *alteratione* s. *immutatione* lac confici, edisserere cogit professa semel hypothesis, sanguinem lactis esse materiam. Quo ipso aniam & materiam datam fuisse, verò est simile, *Plutarcho* dicere solito: *Naturam fucum fecisse animalibus, dum lac album dederit loco rubri sanguinis.* Nos, quibus albam chyli, non rubram sanguinis abundantiam in mammis confluere ex superius allatis firmum, nec propterea dealbatio ista sanguinis adserenda est, *coctione* pauca, quae à nativo mammarum calore & temperie, auxilium poscente vicinum cordis aestum, oritur, infantibus lac praeparari sentimus.

§. 23. Chy-

§. 23. Chyli autem color *albus* non à tunicis ventriculi albis suboritur, sed revera in ipsis delitescit eduliis, alius intermixtus coloribus, atque in exacta ciborum dissolutione manifestatur rursus: quod sole meridiano, cum sudum est coelum, clarius patescit ex digestionibus Chymicorum. Ita, *ex.gr.* cina nomen affusus spiritus vini, in humorem mox bene candidum abire cernitur. Quid si igitur albus iste lactis succus glandulas potius mammarias dealbet, & non hæ illum, quæ communis ferme Anatomicorum aliàs est sententia? Chylus profectò à sanguine, quàm epatis parenchymate, rubicundæ tincturæ lux rudimenta, per combinationes arteriæ coeliacæ & ejus ramorum, nancisci videtur. Hinc eundem ipsum in venis statim lacteis manifestissimè cernimus rubedinem quandam sibi antè adsciscere, quàm ad jecur pervenerit. Probabilissimæ hujus sententiæ autor est honorandissimus Dn. *Præses*, cujus fusiorem declarationem luo se daturum tempore, jam tùm ipse promisit.

§. 24. De TEMPORE *generationis lactis*, ne ambiguo erres animo, cognosce hic, aut *universale* illud esse, aut *particulare*. Illud commune habet foemina cum concipiendi & gestandi tempore, quod à secundo ad septenarium, si-ve, ut *Mercurialis l. sup. all.* numerat, à duodecimo ætatis anno ad quinquagesimum perdurat. Hoc contingit eidem (1.) quando *gestat utero*, ubi per *ἐλξιν* lac ad mammas venit, ita, ut natura, utero comprimente glandulas chylo plenas, succo in illis contento novas vias, novumque hospitium digito quasi indice monstret: (2.) quando *enixum lactat foetum*, ubi per *ᾠσιν* magis id fit, cui hoc faciliùs morem gerit laudatus humor, quò magis cognitæ illi illæ sunt viæ: (3.) quando *menstrua excernenda* solito longiùs in corpore *morantur*, id quod supra §. 21. dedimus expositum.

§. 25. Finem capiti huic imponit lactis FINIS, quem definitio nostra *alimentum primum* infantis recens nati esse dixit. Lac *alimentum* est; quia alimenti optimi conditionibus

bus gaudet; palato gratum est, facile coquitur, citò nutrit. *Primum alimentum*; quia & sanguis alit, sed immediate ille, hoc mediatè. *Infantis*; quia tenella illius ætas delicatulo tali cibo opus habet. *Recens nati*; quia natura non saltuatiim, sed gradatim nobiscum agit. Embryonem alit illa sanguine materno, pro teneritudine tamen foetus paulisper amplius in ipsius foetus epate & vasis præparato; infantem verò lacte, quod coctionem aliquantò maiorem requirit, ut ita puellus secuturo mox cibo solidiori sensim sensimque adsuescat.

§. 26. Non enim in illorum imus adsertionem, qui solam Hippocr. l. d. Nat. Puer. autoritatem prætexentes, lacte etiam foetum in utero nutriri contendunt. Frustra quidem venulæ lacteæ quarum mentio facta est supra §. 16. è lumbaribus glandulis ad uterum serpere non videntur: verùm, quod usui propterea huic statim inserviant, concludere nondum audemus, cum insertionem illarum in foetum, *europsia* nondum edocuerit, atque tres ita coctiones embryoni largiendæ forent, cui alii unam tantum, quæ *tertia* in specie vocitatur, nos verò & *secundam* aliquo concedimus modo. In foetu enim partui vicino *bilem cum urinâ*, secundæ coctionis excrementa generari, aut certè à sanguine affluente leparari experientia testatur, quàm proinde ratiocinio in crustare aliquo hinc nolumus. Neque etiam, juxta mentem illorum, ita Lacte statim nutriretur foetus, sed tantum chyli succo aliquo à glandibus dictis transmissio, cum Lac ex mammis regurgitare, naturaliter quidem, nullo modo posse, resistentes *valvule vasi Pecquetiano* intextæ probant. Ut incommoda & absurda taceam alia, quæ hinc ad oculum monstrari queunt.

§. 27. *Usus* igitur *Lactis Humani*, atq; is *primarius*, est nutritio infantis. *Secundarii* sunt plures in rem medicam redundantes. *Interius* nempe adsumtum, egregiè confert in *agripniâ*, & cum primis in *phthisi*, quod prolixè deducit *Vascus Castellus Tr. 8. d. Thor. aff.* Virtute etiam præsentissimâ

Lac mulieris, masculum enixæ, epotum *furori colico* mederi vulgò creditur, & quæ sunt efficaciz aliz Lactis intra corpus exhibiti. *Exteriùs* verò usurpatum nobile est *anodynum*, *ulceribusque* salubre perquam, nec minùs insignè *cosmeticum*, quàm Lac asininum, quo admiranda n sibi pulchritudinem comparasse, quingentis in usum quotidianum comitata asinis, apud *Plinium l. 11. Hist. Nat. c. 41.* legitur *Pompeja Domitii Neronis.*

CAPUT II. EXPONENS PATHOLOGICAM LACTIS HUMANI DISPOSITIONEM.

§. 1. SI quævis humani corporis particula suo infestatur hoste, uti certè infestari quotidie plus nimis experimur, ad eò etiam, ut juxta *Democriti* effatum *totus homo morbus* sit, & propterea singulorum morborum Medicos, quod moris *Ægyptiis* fuisse *Herodotus Lib. 11.* scribit, adorare ferè opus habeat; Lac maternum tyrannidi illius surripi solum non poterit. Absque hoc foret, supersederemus omninò pathologicà Lactis consideratione, quæ paucis hîc ut exponatur, tractationis nostræ methodus requirit.

§. 2. Morbosum autem in mammis fit Lac, & p. n. afficitur à symptomatibus, quæ ipsi accidunt variis. *Quantitas* illius modò deficit, modò *superabundat*. *Qualitatibus alienis* scatet, cum vel consistentia illius *fluidior* est, quàm decet, *crassiorve*; vel odor, color & sapor depravantur; vel *partes* etiam agglutinatione quadam quasi factâ, *coagulantur*. Nonnunquam & toto genere p. n. quid in Lacte reperitur.

§. 3. *Defectus* Lactis, *abolitus ille sit*, seu *imminutus immediatam causam* pathologiæ præcepta nuncupant *abolutam* vel *imminutam* mammarum vim γαλακτοποιητικὴν. *Antecedentium* loco stant virtus illarum & naturale caloris nativi robur, ob conformationis in utero vitium, & extra uterum sæpius ob morbum aliquem deperditum. Quo fit, ut vel pauca Lactis materia attrahatur, vel attracta parùm coquatur. Inter *externas* illa reticenda præ reliquis
non

non est, cum gravidæ medicamentis refrigerantibus, adstringentibus, sæpè etiam narcoticis cum maximo sui damno invenustam mammarum magnitudinem abs se arcerè laborant: in causa verò & ipsa infantis suæcio debilior esse potest. Quin & sæpissimè Lac deficit, ut de *unitatis solutione* nihil inferam, deficiente Lactis materiâ mammis excoquendâ. Chylum enim ventriculus si paucum accipit, subducit eum mammis duplex cordis & hepatis focus pro magis necessario partium corporis famelicarum alimento præparando; si viscidum & crassum transmittit, liber illi per vias non erit transitus; si laudabilem conficit, poterit naturalem cursum impedire nimia canalium angustia. Quæ pleraque omnia experiri cogitur nutrix convenientem diætam observare insueta, adsueta è contrario vigiliis crebris, animique vitiis, & evacuationibus nimis, quoquò versum ruentibus, debilitata.

§. 4. Unâ, quod dicitur, fideiâ duo nunc dealbati sunt parietes; h. e. expeditis causis Lactis defectum progignere sufficientibus, illæ simul, quæ *abundantiam* ejus pariunt, explicatæ videntur juxta Logicorum illam Maximam: Contrariorum contraria vis est & efficacia. Ubi enim cibi & potûs copiosè ingesti copiosum chylum, per amplas vias mammis muneris sui non ignaris porrigunt, otiosâ insuper nutrice, & somni studiosâ, non potest non superabundans Lactis succus continuum urgere egressum.

§. 5. Quemadmodum porrò *aquosum* & *calidum* nimis Lac sentiunt nutrices, mamminis intemperie humidâ & frigidâ, (cujus causas prolixius enumeratas vide ap. *Galen. l. d. Caus. Morb. c. 4.*) laborantibus, vel etiam materia Lactis multo nimis sero diluta, quæ nonnunquam à debili ventriculi & intestinorum facultate concoctrice, nec rariùs à victu aquoso & serolo largiter ingurgitato oritur: ita rursus *crassius* idem, quàm par est, efficitur, ubi legitima mammarum temperies in calidam & siccam abiit, & proindè dissipata à calore serosa parte, reliqua massa in-

duratur & aduritur quasi, sicut dexterrimè docet Nomen non obscurum, *B. Sennertsm l. 4. Prax. P. 3. S. 2. c. 3.*

§. 6. Neque enim quicquam terremur ab illis, qui clamosi nos contra insurgunt: Ohe, quàm grande divortium facit vestra Lactis crassities à veteri illà Medicorum antiquiorum! Imò, facit divortium; damus ambabus hoc manibus tibi, ô inconsiderate, cui autoritatem quam rationem æstimare, virum quàm verum sectari, inanis est gloria. Non obtrudes nobis crassitiem illam, quam Arabes cum *Avicenna l. 4. Fen. 6. Tr. 2. c. 2. coagelationem*, Græci cum *Ægenetâ l. 3. c. 35. τρέμνωσι*, Latini cum *Donato ab Altomari l. d. Med. C. H. mal. c. 58. & Mercato l. 4. d. M. Mul. c. 19. grumefactionem*, seu *concretionem* vocant. Nunquam enim & nusquam serosam Lactis aquositatem, seu in vasis, seu extra illa existat, in unam cum cæteris partibus con crescere massam, experientia loquitur. Nunquam etiam & nusquam Lac fibrosum esse, uti sanguinem, diximus cap. 1. §. 12.

§. 7. Minus anxie igitur nunc cum *Mercuriali l. all. c. 5.* disquirere habemus de causa grumefactionis, calor illa sit, an frigus? sed *coagulationis* rectius, quæ in ipso infantis ventriculo sit, originem investigamus. Quamvis verò à *frigide* aut ventriculi ipsius, aut ob errorem aliquem externum admissâ, coagulari quandoque Lac negare nolimus; adserimus tamen, coagulationem hanc maximam partem efficere nobile illud hætenus fermentum nimis actuosum. Sed, cave dicas cum *Helmontio Tr. de Imag. Ferm.* (cujus opinionem ad veritatis amussim vocatam invenies in §. 4. capitis seq.) proprium illud & innatum esse ventriculo humano. Cum lacticiiniis primis inditur stomacho recens nati, & cum illa resolutioni & fermentationi cedant facilè, à ventriculi calore excitari satis potest: cui in adultioribus suppetias venit fermentum à cibis prioribus ingestis relictum.

§. 8. Qualitates Lactis vitiatæ sunt etiam *colores, odores & sapes*, quos p. n. illud quandoque acquirit, *Immedi-*

ate

ata illorum causæ sunt chyli massa similibus qualitatibus particeps, & morbosa mammarum constitutio; quarum prior intemperiem & cacochymiam ventriculi, pessimum ob id vas, & nequam corporis organum *Plinio* vocati; posterior omnia ea, quæ mammarum intemperiem, ulcera, inflammationes & similia inducunt mala, tanquam causas antecedentes accusant. Quid mirum ergo, si Lac prove-niat sordidum ab efficiente ulceroso; si mordax & salsum à materia acri & salia?

§. 9. Majori admiratione dignum est, quod laudatus modò historiæ naturalis Conditor *l. 2. c. 106.* annotat, oves esse, quæ in quibusdam ponti campis pascentes, *Lac nigrum* ad mulctram effundant. Atque assertum hoc usque adeò absurdum illi non videbitur, quem industrii aquarum scrutatores crudiverunt, reperiri aquas, quarum aliæ injecta alieno colore tingant, aliæ verò potæ colorandi etiam proprietatem habeant. Id quod & *Plinius* cum in allegato, tum etiam in aliis capp. exsequitur sufficien-ter. Ita aqua ad Herapolim purpureo, aureo Sibaris, Me-las nigro, albo Cæphisus, Xanthus propè Ilium ruffo, alio alia flumina colore tinxisse feruntur. Consule super hisce & miraculosioribus aliis aquarum effectibus *Sperlingium l. 4. Inst. Ph. c. 3. q. 2.* & *Cass. Barthol. l. 1. de Aq. c. 9.* Viros ce-lebratissimos. Adjunge, si vis, magnum *Senecam l. 3. Q. N. c. 2.* Nos enim ista tantum ἐν παρρησίᾳ; utpote de quibus hic multis, nostrum non est, ut differatur.

§. 10. Rarior Lactis adfectus est *res præter naturam in Lacte inventa*, qualis sunt lumbrici intestina, & calculi re-nes, imò plurimas corporis humani partes infestantes, de quibus ven. nominatissimus *Sennertus l. 3. Pr. P. 2. S. 1. c. 5.* qui idem, *4. Pr. P. 3. S. 1. c. 10.* ex *Ronssæo Ep. Miscell. 10.* & *Lev. Lemniol. 4. de Occ. N. Mir. c. 10.* vermes atque calcu-los in mammis etiam repertos refert. De pilis, an cum La-cte excerni queant, ardua inter Medicos lis fervet. Negant hoc & pernegant cum *Vesalio l. 5. d. Fabr. C. H. c. 18. Mercuria-li l. 5. Var. Lect. c. 3. Rondeletio l. 18. Aquatili. c. 23. Christ. à Vega*

l. 3. *Art. Med. S. 6. c. 10. Zac. Lusitanus l. 2. Hist. Med. Pr. 30.*
& neoterici plures, *Avicennam l. 13. Fen. 3. Tr. 1. c. 2. & Galenum*
Comm. in Hipp. aph 76. S. 4. sequentes, qui in Lacte & mam-
mis quandoq; substantiam pilo similem deprehendi con-
tendunt. Contrà veros in Lacte pilos conspexisse se asse-
runt *Alzabaravius Tr. 14. Pract. c. 2. Aristoteles l. 7. Hist. An. c.*
11. Plinius l. 31. Hist. Nat. c. 10. Alex. Benedictus l. 3. Anat. c. 4.
Cardanus l. 8. de Var. c. 44. Manardus l. Epist. 2. Th. à Veiga
Comm. l. 6. de Loc. Af. Gal. c. 3. Fr. Pedemontanus Tr. d. Ægr. Mamm.
c. 2. In horum sententiam & nobis ire, atque pilos re-
verà tales in Lacte offendi posse, adserere sedet; idque cò
audaciùs, quò minùs fallere novimus observationes Ro-
derici à Castro l. 4. d. *M. Mul. c. 26. & Joh. Langii l. 2. Ep. Med.*
Ep. 40. quorum ille *aciculam* devorata, post octavum &
decimum demùm annum, cruri juvenis cujusdam exem-
tam fuisse; hic verò *crinalem acum* Venetam mulierem, *a-*
cus etiam *quinque* virginem Juliacensem eminxisse, priùs
deglutitos, memorant. Sed & ipsissimos pilos cum urinâ
excretos scribunt *Schenckius in Ob. & Greg. Horstius Sect. 5. Ep.*
Med. Sicut & notari dignum est, quod retulit mihi Am-
plissimus DN. PRÆSES, Præcept. meus nunquam satis de-
venerandus, se in ovo cocto adhuc omninò integro *acum*
capitata reperisse, præsentibus atque deimrantibus id
convivis honoratissimis. Omnium maximè autem sta-
bilitatem reddit sententiam nostram mulier Romana, è cu-
jus lactantis papillâ (refert exemplum *Barthol. Hist. An. d.*
Lact. Th. 6. 18.) *surculus cichoraceus* priori coenâ comestus,
extractus fuit. *Scrupulus Mercurialis l. 3. d. M. Mul. c. 5.* qui
ad contradicendum quasi conductus, ob tot coctiones &
immutationes chyli pilum ad mammas saluum appellare
non posse arbitratur, nos nihil vexat; cum exacta statim
coctione prima breviores eundem vias transire, lacteas
nempè thoracicas, ex allatis jam clarum existat. Neque
dubios nos reddit dubium Excell. *Sennerii l. all.* qui à nobis
ideò recedit, quod credibilius sit, pilos ejusmodi potius
cum alvi fecibus, quibus aliàs adhærescere ament, aut
cum

cum urina etiam exire, quàm per tot anfractuofas circumgyrationes mammas adire. Quamvis enim libenter Magno Viro largiamur, pilos tales excrementis impeditos, sæpiùs per anum rejici; aliquando tamen, rariùs licet, per papillas eosdem fuisse egestos, experientiâ jam probavimus, quam prætereâ ratione fulcimus isthac, quod insignis lactearum fuctio pilum cum chylo ex intestinis alliciat; qui, si ad glandulas lumbares fertur, per mammas; si rectâ ad epar, per urinam egressum moliri potest. Neque de cætero nobis, uti laudato *Sennerto*, ita anfractuosa & ambigua ad mammas sunt viæ.

§. II. Jures quandoque ipsum *Lac ex aliis etiam, præter papillas, corporis locis effluere*. Sed negamus hoc constanter tam diu usque dum convicti dare tibi cogamur, viros, quos per pubem Lac excrevisse ex *Aristotele* recensens, & propria observatione attestari audens *Vesalius l. sup. cit.* nunquam nobis persuaserit, Lac generare; donec vias etiam monstraveris convenientes, tam in viris, quàm foeminis, quibus illud ad alias fores feratur. Nempe menstrua insigniter alba, pituita viscida & candida, aut semen fortè ipsum dubio procul illorum imponunt oculis, qui Lac ad genitalia, & alia minus ordinaria loca ruere existimant, in quorum censu offendere etiam licet *Laurentium l. 7. Hist. An. q. 11. & Highmorum l. sup. all.* Tantum abest, ut Lac verum & secundum naturæ leges sic fuerit progenitum, cum multò plura ad Lactis naturam, quàm color albus, pertinere in aprico sit, ut potius ejusmodi per virilia materiæ excretio, mera & foeda exstiterit gonorrhæa. Sed ultra, & ad

CAPUT III. AGGREDIENS DIÆTETICAM LACTIS HUMANI INQUISITIONEM.

§. I. **R**ecuperatâ nunc, post morbosam naturali & propria virtute formaq; , Lac maternum benignam infantulo, solidioribus cibis concoquendis nondum sufficienti, subministrat alimoniam, cujus efficaciam ex
tem-

temperie illius legitimè se habente qui iudicat, meo quidem suffragio non ineptè agit.

§. 2. De temperamento PARTIUM conveniunt autores, & *butyrosam calidam & humidam, caseosam frigidam & siccam, serosam frigidam & humidam statuunt*, quamvis absolutè frigidum, serum Lactis dicendum non sit ob admistam sal-
sedinem, unde mediante sale calore etiam aliquo semper gaudet, quò indubiè respexerunt *Avicenna Cap. de Lacte. & Mesues l. 3. de Alim. Fac. c. 16.* serum Lactis calidum & sic-
cum pronunciantes. Ast totius, h. e. LACTIS ipsius tem-
periem rogati DD. Medici controvertunt. Enimverò *frigidum & humidum* Lac statuunt, qui à temperie partium
ad temperiem totius concludunt. Alii *calidum* esse volunt,
si pars pinguis dominetur; si verò pars reliqua, *frigidum*.
Illi CL. Hoffmanno l. 5. Inst. Med. c. 19. §. 2. non observant id,
quod partes naturaliter unitæ non agant seorsim; *hi verò*
nimis accurati audiunt. *Nobis temperamentum Lactis Hu-*
mani generaliter & respectu hominis ipsius consideratum,
humidum & temperatum videtur. Cum brutis enim collatum
modò calidius est, modò frigidius: quin & foemina frigidi-
oris naturæ, frigidiorive victu enutrita, frigidius Lac gene-
rabit, quàm quæ calidior est, calidioribusque adfecta ali-
mentis.

§. 3. Apparet inde larga alimentì hujus infantilis be-
nignitas, *Calidum* est & *humidum*; quia tale calido & humido
infantis corpori est convenientissimum. *Pingue & crassius-*
culum: hoc enim sufficienter nutrit, corpus roborat & im-
pinguat. *Dulce*: ne respuat illud delicatum fugentis pala-
tum. *Seroso humore dilutum*: ut citò & facilè in venas diffun-
datur, alvusq; servetur lubrica. *Maternum olens temperamen-*
tum: ut quod naturæ illius commune jam est, & quasi do-
mesticum. *Preparatum in mammis, & semidigestum*: quò fa-
ciliùs in chylum transeat. Ita provida naturæ cura sua &
materna opera imbecillitatem hominis adjuvare semper
satagit. Nec proindè injuria piscibus, avibusq; inprimis, di-
cenda est, quod mammas cū lacte denegaverit ipsis. Cum
enim ubera turgentia volatui earum officerent, valdope-
rè,

rè, supplere maluit defectum: ut ita loquar, amore admirabili, qui cessare ante nescit, quàm alimenta proficua multo labore conquisita & in ingluvie semidigesta, adju-mento rostri, pipionibus regerantur. Et, ne opus habeant madido vesicæ vasculo, feces excernunt liquidiores, crebris exercentur motionibus, & plumis integuntur, quod olim quondam jam docuit *Aphrodisæus l.4. Probl.111.*

§. 4. Quadrupedibus verò omnibus, (ut & piscium nonnullis, inter quos *Aristot. Lib.III. Hist. An.c.20.* numerat balenas, vitulos marinos & delphinos,) catulis suis ubera præbere & materno eos succo alere licet. *Bubulum* lac omnium pinguißimum & crassissimum, *ovillum* cascosum magis, *caprinum* mediæ consistentiæ, *camelinum* liquidissimum, multoq; sero dilutum, *equinum* & *asininum* camelino tenui consistentiâ proximum, censent *Galenus Lib.III. de Alim. Fac. c.15.* *Dioscorides Lib.II. c.62.* *Oribasius Lib.II. Collect. c.52.* & alii, referente doctissimo, & de *Republ. Medica* optimè merito *Sebizio de Fac. Alim. l.c.* Horum autem respectu omnium, *humanum* Lac temperatius & laudabilius omnibus hætenus vilum est. Solus *Helmontius Tr. de Sex-tupl. Dig. alim. hum.* præfert lac *asininum* indicio sumto à longævitate asinæ, & tardiori, ob tardio-rem coagulationem, corruptione.

§. 5. Sed hisce planè pleneque expedita nondum est quæstio: Num Lac Humanum infanti cibis sit optimus? Contra nitentem, & hæc circò non tam universæ, quæ ab ipso mundi conditu huc usque provixit, Jatriæ prosapiæ, quàm ipsi naturæ refractuarium se sistit idem ille *Helmontius Tr. d. Inf. Nutrit. ad vit. long.* qui, uti nec *Paracelsi*, ita nec *Galen*i mancipium, propria ingenii libertate, quamvis liberius quandoque ac decebat Medicum, utens fruens, postquam occupavit, naturam cum Lacte alimentum quidem offerre nobis ad vitam, sed non ad vitam longam; Odisse se, infert, infantis nutritionem per Lac intentatam, quia id in stomacho, ob proprium loci fermentum, cui obedit, necessario acescens, antequam in alimentum vertatur; ob successum dehinc novi, occalescat, coaguletur, putrescat, nidorescat, amaricet, & sic vomitio-

nes, tormina, febres, diarrhœas, epilepsias, aliasque multas inopinas necis occasiones contineat: & hæc Lactis vitia vocat inevitabilia, & peccata Lactis materialia recenti foetui expianda, cum quibus simul morbosam nutritis constitutionem, variaque animi vitia, & externas impressiones imbibat misellus. Commendat verò tanquam minùs periculosa, alimenta ex pane in cerevisia tantisper ebuliente, adjecto melle despumato saccharove, paranda recentier enixis. Alibi Tr. de sext. Dig. verò puerulorum longæ vitæ sanitatiq; præ cæteris cibis proficuum laudat lac asininum.

§. 6. Nos ad Helmontiana hæc regerimus I. Si natura, quod ipsi damus ultrò, lacticiniis maternis alit tantum nos ut vivamus, non verò ut longævam vitam vivamus; multò minùs Medicus, qui minister illius est, alimentum præscribet longam vitam sustentare validum. Nutrimentum, quod assumimus, absumtam humidi radicalis portionem restituere debet: at, omne nutrimentum, quodcunque etiam fuerit, deterioris est conditionis, atque hoc vitæ ballastum, quo demum exsiccatò, mors naturalis sequitur necessariò. Interim & hoc certum est, pravam parentum diætam & accidentia alia non pauca, in culpa esse, quod tam infirma hodie, tamque brevis liberos sæpiculè maneat vita. II. Negamus falsam, quam de fermentatione præsupponit, hypothésin; *Fermentum* nim. *innatum esse ventriculo* hominis. Hos enim illud si jactat natales, aut ex semine, aut materno ex sanguine, quæ materialia proxima generationis nostræ principia sunt, necesse est, oriantur. Probet sufficienter, utrum velit, non proferat tantum, Helmontius; & concedemus oppidò in hanc illius opinionem. III. Non distinguit Lac sanum à vitioso & vitiosis ventriculis ingesto, neque usum lactis ab abusu. Non laudabile & modis omnibus absolutè præparatum Lac, sed quantitate vel qualitate delinquens, aut à malè robusto ventriculo corruptionem trahens, tormina, febres, epilepsias, & hujusmodi alia mali nominis & ominis mala generabit; quæ omnia cordatus Medicus, & nutrix Lactis sui tenax declinare non nesciunt. IV. Alimentum, quod ex cerevisia, pane & melle Lacti materno substituit,

(1) coctū videtur difficilius, quā Lac ex chylo bis coctū:
 (2) iis ad minimum non convenit, qui melli & cerevisiæ, cujus sanè tot sunt differentiæ, quot loca, in quibus coquitur, adversum habent temperamentum: (3) fidem nondum lat firmam ipsi fecit auctori, cum ille, quem alere eodem iussit, Comitis filius, violenta morte perierit:
 (4) contrarium ferè nos docet, qui in nutricis defectu infantes edultis istiusmodi vefcentes lenta & infirma sumere incrementa advertimus. V. Si morbos, mores malos, & animi vitia à malè constituta nutrice haurit puer; quid prohibet, quod idem vegetum robur, mores compositos, mentemque bonam cum Lacte nutricis, quā corpus, quā animum inculpatæ, quodammodò imbibat? Imò VI. tandem tibi ipse, *Helmonti*, contrarius, malè puelis commendas Lac asinarum, qui corporis simul & animi nævos cum Lacte propagari posse jam concessisti. Propines Lac hoc infantibus, & asininam ex propriâ confessione conciliabis illis stupiditatem, segnitiam atque lasciviam. Neque id statim, quod asinos facit longævus, homines etiam facere, probasti nobis. Alia longè hominis est natura alia asini; atque homo iis optimè omnium nutritur animalibus, quæ teste ipso *Galeno l. 19. Simpl. c. 10.* hominis naturæ accedunt quā proximè.

§. 7. Et sic nemo, opinor, amplius dubitabit de salubritate Lactis Humani, cui, præter dicta, historiæ etiam enarrarunt, quod γαλακτοπόται & γαλακτοφάγοι vivaces deprehensi fuerint, quo nomine Philinum quendam *Athenens*, Agricola *Galenus l. 5. d. San. Tr. c. 7.* Solstratum Philosophum *Plutarchus l. 4. Symp.* Nomades *Plinius l. 8. H. N. c. 30.* Scythas *Sebizius l. sup. cit.* populos alios *Bruyeriinus l. 14. c. 1.* celebres scribunt, quod nec ipse *Helmontius Tr. de Vict. rat.* negat.

§. 8. At *matris, an nutricis Lacte alendus infans?* *matris* meritò cum sanioribus dicimus, quā σῆγν & alimentum soboli jam familiare, fidissimam foetus sui altricem facit. Ut optimo jure foeminas illas, quæ, ut teneritudini parcant suæ, nutricibus mercenariis suos exponunt in-

fantes, *matres integras* non dicamus, exemplo *Scipionis Africani*, qui: *Ego*, inquit, *magis mihi judico esse matrem, quæ, etsi me non peperit, per biennium tamen nutrit, quàm quæ me peperit, & postea dereliquit.* Quà de re plura legere volenti egregia edisseret *Phavorinus Gellii Lib. XII. c. 1.* *elucubrationis illius Noctium Attic. vigilantissimi.*

§. 9. Removemus itaque *Lac assarum conductitium*, matre sanâ & laudabili, I. quia alienæ temperiei agrè & cum periculo adluescere videmus infantulos: II. quia lucrum magis quàm foetum observant nutrices, adeò quidem, ut negligentia illarum proverbio etiam materiam dederit, quod est apud *Aristophanem in Milit. καὶ δάπνη αἱ τῆς γαλακτοῦ σίτις κακὰς*: III. quia ex illarum tribu plerumque veniunt, quarum cingulum popina solvit, quæque moribus asperæ, & animo effrenes atque improbæ sunt. Undè fit, ut talium Lac non exiguâ sit in culpa, quod talia etiam animi vitia à tenellis assugantur. Quale enim nutrimentum, talis sanguis, qualis sanguis, tale temperamentum & spiritus, qualis verò spiritus, talis anima. *Est profecto*, inquit celeberrimus *Sperlingius l. 1. Ex. Phys. c. 3.* *aliquid virium in Lacte nutricis, quod manens indomitum in infantulo, suam exserit potentiam.* Quod innuisse videtur *Hippocr. Lib. de Alim.* scribens: *Lac alienum probum, Lac proprium noxium, Lac alienum noxium, Lac proprium utile est.* *Justinus Lib. XLIV.* refert, puerum lacte caprino nutritum capræ instar lascivis subinde arbuistorum cortices abrasisse. Alius ex cervini lactis usu communi, cervos per saxa per saltus pernecitate pedum affecutus est. Quin & insolitam ita in generosas familias stupiditatem, iram, lasciviam & defectus mentis notabiles alios inferri, experientia testis loquitur.

§. 10. Admittimus verò nutrices & admitti suademus, ubi morbi alicujus hæreditarii vel adscititii grave periculum, aut insignis etiam animi corruptio maternum Lac infantibus subducere jubet, vel teneritudo etiam corporis, & Lactis indigentia. De primo verò à partu Lactis seu *coloastro* (undè qui biduo triduo vè eodem nutriuntur, juxta *Mercurialem loc. all.* aut quod vult *Plin. Lib. XI. Hist. Nat.*

2. 4. qui imprægnatæ nutricis Lac sugunt, *colostrati* vocantur infantes,) difficultas aliqua suboritur, *an conveniat* illud recenter editis, *an secus*? Romanis in deliciis illud fuisse ex *Martialis Lib. III. Epigr. 30.* hoc carmine liquet:

Surripuit pastor, quæ nondum stantibus hadis

De primo matrum Lacte colostradamus.

Contrà *Avicenna Lib. II. Can. Tr. 2. c. 442.* & plures cum eo facientes Medici, difficile id coctum, & alere ineptum judicant. Verum *Sennert. Lib. de Morb. Inf. p. 1. c. 1.* colostrum matris non nimis in partu laborantis sine noxa rectè porrigi posse scribit, cum nihil damni evenire infanti, imò prospexisse sic peculiariter eidem naturam, ut colluviem in utero contractam educat, *Spigelio* compertum sit.

§. II. Relictis verò hisce, *nutricem* nunc splendidioris fortunæ infanti, principalivè alendæ soboli aptam seligere juvat, quæ, quò rarior avis in terris est, hoc diligentior cura impendenda est, ut acquiri queat, cum infantis salus indè si non deperditur certè nec juvatur. Requirimus autem in ea, ut absoluta numeris omnibus sit nutrix, (1) *Corpus sanum* à sanis parentibus progenitum, nec propterea ullo hæreditario, contagiolo, aliove periculoso morbo, vel externo corporis nævo inquinatum. (2) *Temperamentum* cum matre aut sucturo, si laudabile illud etiam fuerit, simile; sin minus, colligetur à laudabiliore nutricis temperie. (3) *Colorem roseum*, seu album rubro perfulum; hic enim temperatam corporis constitutionem indicat. Quo ipso uti negligimus *subpallidas*, tanquam pauci & pituitosi Lactis participes; ita nec probamus *subnigras* aut fuscas, propter caloris exsuperantiam. Hinc Hispanos perperam liberis suis consulere opinatur *Roder. à Castro Lib. IV. d. M. M. c. 13:* quod *Aristotelis Lib. III. Hist. An. ult.* verbis seduci, concedant eos Lacti *Hybridarum*, quas *Mulatas* vocant, ex patre Hispano, *Æthiopissâ* verò matre oriundas; & sæpè etiam ipsis *Æthiopissis* lactandos præbeant. Qui *Hippocratem l. d. Nat. Mul.* commendasse Lac vaccæ nigræ sibi persuadent, illi adcant *Foesium in Oecon. Hipp.*

discantque, eum non Lac vacce nigrae, sed in Melaneo agro pascentis voluisse, uti eruditè textum hunc ille idem emendat. (4) *Nulla aut pauca menstrua*, quorum fluxum, quamvis in carnosioribus & victu liberaliori utentibus nihil periculi portendere sæpè, Roder. à Castro. l. cit. c. 10. Christ. à Vega Lib. II. Art. Med. S. 7. c. 1. & ipsa etiam experientia doceat; aliquando tamen in aliquibus in culpa esse, ut, dum Lactis materia negligat mammas, utero inde provocetur libido, prudenter monet Zac. Lusitanus loc. all. Hist. 31. *Mammas mediocres plenas & papillas infantis oris facile obediētes*. Fœcunditatis symbolum præ se ferre quidem videtur mammeata mulier, qualem si joco etiam hic locus est, cum Poëta quis alloqui posset:

Taurino poteris pectus constringere tergo,

Nam pellis mammas non capit ista tuas;

Unde & Astartem, quam Venerem nonnulli interpretantur, πολύμασον seu μεγαλόμασον pinxerunt: Verùm diffusus nimis in *mammis* talibus est calor, Lac justo diutius retentum corrumpitur, ipsaque gangrænae, aliisque morbis obnoxia sunt magis, quàm medicces. (6) *Lac optimum*, hujus autem bonitatem non tam metimur ex colore albo, dulci sapore, odore alimentario, & consistentiâ mediocri, quæ ungui instillata nec diffuat citò, nec planè subsideat; quàm ex vita, sanitate & victu lactantis. (7) *Abstinentiam à congressu & conceptu*: interturbatur enim iis opus generationis Lactis, Lac ipsum pravas induit vires, corrumpitur, & ut Helmontius Tr. de Inf. Nutr. ad vit. long. loquitur, *cadaverefcit*. Imò, si concepit, tunc natura vel utero, vel mammis alimentum denegare, aut certè insufficiens, prævumque mittere cogitur. (8) *Ætatem floridam & puerperium binum*. Illam designat Galenus Lib. I. de San. Tu. c. 9. à vigesimo anno ad quintum & trigessimum, estque ob vigorem corporis ad naturales actiones omnium calculo maximè idonea. Hoc verò requiritur, quia ex partu primo ipsa mater nutricis saltem addiscit officium, cui adsuescit melius secundum puerpera, nec tardiosa

diola tunc est earum more, quæ plures jam partitionis dies numerarunt. Nec ante septimum à partu non abortiente, sed sano, eoque masculo, si haberi possit, mensem spartam alumna nanciscatur & ornet. (9) *Fidelitatem, continentiam, mores urbanos, & animum domitorum affectuum;* quibus neglectis, quanta vitæ infelicitas cum succrescente infante crescat, circumspiciat matres experiuntur hodie plus nimis. Sed nec minor est ars laudabilem nutricem inventam, laudabilem etiam per omne lactationis tempus servare diætâ convenienti, quam qui appetit, cum tractatio illius hujus loci non sit, consulat *Sennertum loc. all. Zac. Lusit. in Praxi Histor. passim.* aliosque regiminis infantilis Conditores ac Præfules.

§. 12. Quin hoc potius monemus adhuc malè misericordes assas, ut ne tricies de die vel levius ploranti infantulo mammas porrigant, sed ter tantum, aut quater; idque repetere prius caveant, quam proximè exhibitum Lac concoctum penitus fuerit in infantis ventriculo. Lacticiuorum loco, præscriptum *Helmontii* alimentum ex panis medullâ coctâ in cerevisia cum paucis melle, juxta maternum Lac, ut & sacchari subindè pauxillum oblatum potius proderit: quo ipso à coagulatione Lactis in ventriculo vitiosâ, cæteris paribus, minus infestabitur tenella ætas, nec cruditatibus, obstructionibus, vermibus & calculis ita divexabuntur, qualia mala puliculæ farinacæ sæpiculè progignere solent.

§. 13. *Lactationis* verò tempus diversum observatur apud gentes diversas, Judaicæ regioni moris fuisse lactationem ad tertium annum producere ex *Galeno* refert *Valesius Phil. Sanct. c. 83.* quâ, qui diutius velcebatur, *ma-* *morreptus* vulgari convitio audit, annotante *Sanctio Comm. in c. 7. l. 2. Macc. v. 27.* Belgicas verò mulieres, *Roder. à Castro in l. c. 29.* ad unum tantum annum, aut novem etiam menses lactare scribit parvulos. Aliæ nationes ad octodecim menses aut ipsum etiam biennium mamminis adhærere illos concedunt. Tutissimum fuerit
abla-

ablaetare tenellos, cum dentibus instructi primoribus, solidiores cibos appetere avidè, & sufficienter quoque concoquere incoepant; quas vires aliis citiùs natura aliis tardius elargitur, ut faciliùs nobis sit, levidensem hanc de Lacte humano Disp. nunc finitam, quàm ablaetationis tempus certò definitum dare.

§. 14. *Tanta molis erat prolem nutrire tenellam!*

Sanè, quem mirum Lactis opificium, mirissimæ concretum officinæ, officiique dicatum mirissimis, non trahit in sui admirationem, & opificis sapientissimi enconia, illum

—— *genuit duris in cautibus horrens*

Caucasus, Hyrcanæque admòrunt ubera tygres.

Quod reliquum est, non aspernaberis, *Lector benigne*, conatum hunc meum, quo, in intricatam hætenus de Lacte Humano doctrinam aliquantò intimius, quantum tamen iudicium se penetrare prætextatum potuit, inquirere volui. Nescio enim quâ libidine captus semitam potius planam calcare, quàm labyrinthos (salvâ nihilominus semper honorandæ Antiquitatis auctoritate, cujus ego immensum laborem nunquam non cum veneratione demiror,) adire deperditè amem. Neotericorum, & cum istis ita meam exposui tibi rationem, animumque, quem sic induco, meum. Tu verò, si quid rectius mihi, multa adhuc addiscere flagrantissimo, instillaveris, beneficii immensum de prædicandi debitorem submissum, eruditionisque tuæ cultorem ingenuum me semper habebis, qui nunc Te dimittens amplius nihil addo, quàm

GRATIAS DEO PEREN-
NI-DEVOTAS.

